REDUCTIO LITIUM

AD

Arbitrium boni Viri,

QUOUSQUE

Finale Decretum Canonice interponatur.

IN

Controverſiis de infallibiliter *prædeſtinatis*, ac *indubitate reprobatis*, aliiſq; omnibus hominibus, vel vita æterna fruituris, vel diutina pœna plectendis pro ſuo intereſſe legitime intervenire, ſecundum mediorum & Auxiliorum Divinorum uſum vel abuſum, prætendentibus.

Fundata

Super Doctrinam mediæ Qualificationis, *potius quam* Scientiæ mediæ.

Impreſſus M. DC. LXX.

DIſtinguimus univerſos homines in tres claſſes; in prima claſſe conſtituimus homines prædeſtinatos, qui certò & infallibiliter ſalutem ſunt conſecuturi, & hos prædeſtinatos, dicimus, eſſe viros, quoſdam ſanctiſſimos, ſicut D. *Paulum*, & Apoſtolos omnes, & beatiſſimam Virginem, & alios qui eximiâ & optimâ ſanctitate prædiți ſunt, & in his ſolum cognoſcimus prædeſtinationem eſſe infallibilem, & de his dicimus ſolùm explicandas eſſe Scripturas, quando de prædeſtinatis loquuntur. In tertia & poſtrema claſſe, è regione conſtituimus homines, qui peſſimi viventes, fuêrunt inſignes in ſceleribus, & peccatis, atque depravatis eorum moribus, ut *Judas*, & *Pharao*, & alii hujuſmodi homines facinoroſiſſimi, & hos dicimus eſſe reprobos; & de illis affirmamus interpretanda eſſe illa, quæ in divinâ Scripturâ leguntur de hominum reprobatione. In ſecundâ claſſe, & mediâ, inter has duas extremas conſtituimus

mus reliquam multitudinem aliorum hominum, qui neque præditi ſunt eximiâ ſanctitate & bonitate, neque eximia malitia, & hanc mediam multitudinem, atque plebem, dicimus, continere eos homines, qui neque ſunt prædeſtinati, neque reprobi, de quibus dicimus non eſſe apud Deum decretum, qui ſint ſalvandi, qui verò non; quia reliquit eos Deus in manu conſilii ſui, & quantum ex ſe eſt, conceſſit illis auxilia, quibus ſi velint, ſalvari poſſint; multi verò non ſalvabuntur propter eorum demerita, alii verò propter bonum uſum liberi arbitrii ſalvabuntur; cum tamen non eſſent apud Deum prædeſtinati; ſed ſolùm voluiſſet voluntate illa, quam exprimit *Paulus*, plebem hominum ſalvam facere, dicens, Qui vult omnes homines ſalvos fieri. Itaque conſtituimus duas prædeſtinationes, prima eſt, qua Deus abſolutâ & efficaci voluntate præordinavit & prædiſtinxit viros quoſdam ſanctiſſimos & præcellentes Spiritu, ad æternam illam beatitudinem, & horum numerus eſt certus & determinatus, ita quod neque augeri, neque minui poteſt, & hanc prædeſtinationem dicimus eſſe certiſſimam. Secunda prædeſtinatio eſt, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & qua non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, paratus exhibere cunctis media & auxilia neceſſaria ad ſalutem; & hæc prædeſtinatio non includit voluntatem efficacem ſalvationis iſtorum, ſed ſolùm claudit præſcientiam Dei & voluntatem præſtandi eis media neceſſaria, quibus ſi beneuti velint, poſſint ſalutem conſequi: non tamen dici-

mus

mus prædiffinitionem & ordinationem Dei abſolutam & efficacem, & ita colligimus, quod ex his hominibus ſic prædeſtinatis, quidam ſalvabuntur, bene utentes his auxiliis à Deo exhibitis; quidam verò damnabuntur ob eorum culpas, & mala opera. *Hic modus dicendi* fugare dubia videtur, & facit animum quieſcere, neque ullum geſtare ſcrupulum, ex quibus omnibus ſequentes colligimus propoſitiones. Prima, Certus eſt numerus prædeſtinatorum, qui neque augeri poteſt, neque minui, neque poteſt contingere, quod parvus ille numerus prædeſtinatorum ſalvus non fiat, propter excellentem Dei gratiam, ae protectionem, & aſſiſtentiam Spiritus, qui vel præſervabit à peccatis, vel ab illis incurſis eripiet, & liberabit, ut tandem in pace dormiant, & in Domino requieſcant; neque propterea liberum ab illis aufertur arbitrium, imò magis ſtatuitur per abundantiorem gratiæ copiam. Secunda propoſitio loquendo de non prædeſtinatis, qui ſunt in ſecundo ordine: quilibet illorum ſalvari poteſt, quia per liberum arbitrium adjuncta gratia, & ſufficienti auxilio Dei poteſt uſque in finem perſeverare, nihilominus tamen quilibet homo per liberum arbitrium, poteſt gratiam vel recuſare, vel abjicere; quilibet poteſt damnari, & de facto multi ſua culpa damnati ſunt, & conſequenter reprobatio iſtorum, nihil aliud eſt, niſi illa quam ſibi quiſque acquiſivit ob propria flagitia, & peccata. Tertia propoſitio, non eſt in providentia Dei determinatus numerus eorum, qui ſalutem conſequuntur, licet in præſcientia

tia sit cognitus. Quarta propositio, Plurimi eorum qui in hoc secundo ordine constituuntur (qui vocantur non prædestinati) consecuti sunt salutem, & consecuturi sunt salutem: nam dicere, datum esse omnibus à Deo, ut possint salvari, & quod ex tam ingenti numero eorum, qui sunt in secundo ordine, nemo salvatur, ita ut in universo hoc ordine, benigna illa Dei dispositio penitus frustretur, est voluntariè effutire.

FINIS.